

beat, sed et<sup>16</sup> ipsam uxorem, si cum castitate et ex virginitate sit. Nihil enim sic in sacris ordinationibus diligimus, quam cum castitate viventis, aut cum uxoris non cohabitantes, aut unius uxoris virum, qui vel fuerit, vel sit, et ipsam castitatem eligentem, primum principium et fundamentum manifestum secundum divinas regulas et residua virtutis constitutam. Si autem aliquis presbyter aut diaconus aut subdiaconus postea ducat uxorem aut concubinam, aut palam, aut occulte, sacro statim cadat ordine, et deinceps idiota sit. Quod si et lector secundam ducat uxorem propter quædam, et hoc forsitan irrecusabili necessitate, nullatenus ad altiorem accedat gradum, neque perfruat gradum majorem in sacerdotio, maneat autem in eodem gradu perpetuo: sed non ad tertias veniat nuptias, satis est enim si ad secundas. Si vero aliquid tale egerit, et ad secundas veniens nuptias, ad majorem gradum venire festinaverit: exinde idiota erit et laicus, omnino sacro ministerio cadens. Pudice etenim nobis per omnia pertinet vivere. Si enim tales constituti ii qui in clero adducuntur ordinantur: facilis eis ad episcopatum ascensus erit: et ex multis bonis viris facilius inveniantur, qui adducantur ad primum gradum sacerdotii digni.

**CAP. VI. De diaconissis minoribus quinquaginta annis non ordinandis.**

Quanta igitur super venerabiles clericos a nobis dicta sunt, hæc etiam super Deo amabilibus diaconissis agi volumus, ut neque ipsæ citra observantiam fiant, sed primum quidem eis ætatem neque novellam esse neque crescentem, neque ex hac ad delinquendum salientem: sed super mediam constitutas ætatem, et circa quinquaginta<sup>17</sup> annos secundum divinas regulas agentes: sicque sacram promereri ordinationem: et aut virgines constitutas, aut unius viri quæ fuerant uxores: non enim permittimus neque secundas contrahentibus nuptias, neque vitam habentibus, non dicimus, reprehensibilem, sed nec suspectam omnino, ad sacrum venire ministerium, et adorandis ministrare baptismatibus, et aliis adesse secretis, quæ in venerabilibus ministeriis per eas rite aguntur. Si vero quædam necessitas fiat<sup>18</sup>, et minorem hac ætate quam diximus ordinari diaconissam contigerit: liceat eam in aliquo venerabili asceteriorum ordinari, et in illo habitare. Nequaquam viris admixta constituta sit: neque suo arbitrio habitans: sed vite separate, et mediocris, et a conveniente multitudine bonum testimonium patriarchæ, et metropolitæ et ipsas quæ ad ordinationem perducuntur diaconissas, sive ex viduitate, sive ex virginitate, non cum aliquo coherentes aut cognatorum, aut eorum quos appellant dilectos: (talibus enim nominibus utentes, maligna suspicione suam replent vitam) sed aut solæ habitent, aut cum parentibus solis et filiis aut vere fratribus: aut iis coherere, de quibus si quis suspicari aliquid præsumperit malignum, ipse insipiens simul et impius forsitan putabitur. Et si dicatur tale aliquid de aliqua earum quæ in diaconissarum ordinationem ingredi vult, quod alicui cohererit sub imagine quidem bonæ appellationis, maligna vero suspicione: non oportet hujusmodi mulierem perducere ad ordinationem diaconicæ. Nam si ordinetur, et tale aliquid egerit, et cohererit alicui cum predicto nomine aut schemate, cadet quidem a diaconia: et ipsa et ille subjecti erunt huic legi et reliquis quæ corruptores puniunt. Oportet enim omnes quæ ordinantur venerabiles diaconissas, tempore ordinationis et moneri, et sacrorum audire mandatorum præcepta coram reliquis quæ dudum sunt venerabiles diaconissæ: ut et ipsæ Dei timorem habeant, et ad hærentem sacris mandatis fiduciam: timere autem et confundi sacro cadere ordine: scituras, quod si præsumperint aut erubescerent ordinationem, aut derelinquentes sacrum ministerium ad nuptias venerint, aut aliam omnino elegerint vitam: ipsæ quidem obligate efficiuntur morti: et substantia earum applicabitur sanctissimis ecclesiis aut monasteriis in quibus sunt. Qui vero eas aut uxores accipere aut corrumpere præsumperint, obnoxii quidem et ipsi gladio erunt: substantia autem eorum applicabitur fisco. Si enim in antiquis legibus: substantia autem eorum applicabitur fisco. Si enim in antiquis legibus, mortis incumbat damnus corruptis: quomodo non magis nos in iis quæ a Deo glorificantur, definimus, pudicitiam (quæ quam maxime mulieres exornat) conservari volentes, quam diligentissime a venerabilibus diaconissis, ut quod decet naturæ, custodiant, et quod debetur sacerdotio, conservent?

**CAP. VII. De clericis in aliam vitam transeuntibus.**

Semel autem secundum hoc factos diaconos aut presbyteros, nullo modo<sup>19</sup> derelinquere sacerdotium, quod non solum in presbytero et diacono sancimus, sed etiam si subdiaconus aut forte lector fiat aliquis, hunc relinquere pristinum schema, et ad alteram migrare vitam: scientem, quia si tale aliquid egerit, secundum quod a nobis jam sancitum

<sup>16</sup> N. 125, c. 12. — <sup>17</sup> L. 9, C. de episcopis, mutat. N. 125, c. 15. — <sup>18</sup> For. L. 11, § 2. D. de numerib. — <sup>19</sup> N. 5, c. 6. — <sup>20</sup> N. 16. — <sup>21</sup> Adde N. 5. — <sup>22</sup> d. N. 5. — <sup>23</sup>

est) aut in curiam cum substantia, aut sub inopia degens, ad officialem deponetur fortunam.

**TERTIA PARS LEGIS.**

**CAP. VIII. De expensis ecclesiarum, et clericorum multitudine non faciendis.**

Sed neque effusas<sup>20</sup> competit fieri de cætero reverendissimorum clericorum ordinationes, quod enim hactenus gestum est, licet corrigi oportet, attamen propter tempus sinimus: de cætero autem non propter hoc fieri, neque ad damnum sanctissimarum ecclesiarum venire sancimus. Quæcumque igitur oportebat de tali modo in sanctissima majore ecclesia hujus nostræ regni civitatis, et sub ea constitutis sanctissimis ecclesiis, et aliis quæ hic sunt, fieri, hæc speciali lege complexi sumus. In omnibus autem quæ foris sunt locis, sancimus; si quis cum constituerit ab initio et edificaverit ecclesiam, definivit ordinationum mensuram, tantquam secundum eam expensas constituens: non prius ordinari quemquam in eadem ecclesia, nisi ad<sup>21</sup> numerum a principio definitum ejus mensura redigatur. Si vero hoc non fecerit, ipsa vero civitatis ecclesia ministrat emolumenta et sibi et aliis ecclesiis: tunc non promptum sit augeri illi clericos, neque propter aliquas forte compassionem aut beneficia ex hoc eam sumptibus prægravare (non sunt enim hæc pia neque sacerdotibus digna) sed ex quibus Dominus dederit Deus, ex iis quæ possibilis sunt administrare, aut antiquam conservare consuetudinem, nihil penitus innovantem. Unde competit Deo amabilibus patriarchas et metropolitans hujus habere providentiam: et eos quidem, qui hactenus sunt, sinere in schemate in quo sunt clericos: meliori vero uniuscujusque ecclesiæ virtutem: et ita ipsos quoque sanctissimos patriarchas sub se constitutas ecclesias ordinare, et metropolitans hoc ipsum a sanctissimis patriarchis commonitos facere, illos autem alios omnes sub se positos episcopos ad mensuram hanc deducere: et studere non<sup>22</sup> ultra expensas facere clericorum ordinationes, scimus enim quantæ sanctissimæ ecclesiæ propter hanc ordinationem, et alterius expensæ effusionem, inopes factæ sunt. Et quia aliquas earum, vix quidem, tamen liberavimus: quædam vero adhuc oneratae jacent, ex tali relevari angustia non valentes: ideo hoc provideant sanctissimi patriarchæ, et metropolitæ et reliqui Deo amabiles episcopi, ut et nos, quæ ab eis aguntur discentes, approbemus eos qui nostram legem in literis positam, apud semet ipsos ostenderunt operibus adimpleri.

**EPILOGUS.**

Quæ igitur a nobis sancita sunt, et sacrum ordinem statumque custodiunt secundum sacrarum regularum observationem et virtutem, de cætero conservent perpetuo integra et sanctissimi patriarchæ uniuscujusque diocesis, et Deo amabiles metropolitæ, et reliqui reverendissimi episcopi atque clerici, ubique Dei culturam et sacram disciplinam custodientes inviolatam, pœna imminente hæc prævaricanti, quo penitus alienus sit a Deo, et imposito sibi sacerdotii ordine: nam velut indignus hoc excluditur. Licentiam vero universis damus, cujuscumque sint officii vel conversationis, respicientibus aliquid horum prævaricari, nantiare nobis, et ad imperium quod semper est: ut, nos, qui hæc secundum sacrarum regularum explanationem apostolicamque traditionem constitutum, decem etiam indignationem prævaricantibus inferamus, etiam his videlicet quæ sancita a nobis sunt, de hereditatibus Deo amabilium episcoporum custodiendis. — § 1. Sanctissimi siquidem patriarchæ uniuscujusque diocesis hæc proponant in ecclesiis sub se constitutis, et manifesta faciant Deo amabilibus metropolitans, quæ a nobis constituta sunt. Illi quoque rursus etiam proponant ipsi ea in metropolitana sanctissima ecclesia, et constitutis sub se episcopis hæc manifesta faciant: illorum vero singuli in propria ecclesia hæc proponant: ut nullus nostræ reipublicæ ignoret, quæ a nobis ad honorem et ad augmentum magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi disposita sunt. Insuper sequens hæc tua sanctitas omnibus qui sub ea sunt metropolitans sanctissimis hæc faciat manifesta universo tempore contrahenda. — § 2. Scripta exemplaria<sup>23</sup> sanctissima archiepiscopo Alexandria, Ephremio sanctissimo archiepiscopo Theopollitano: scripta exemplaria Petro sanctissimo episcopo Hierosolymorum: scripta exemplaria Joanni viro gloriosissimo præfecto sacrarum prætoriorum secundo exconsuli, et patricio: [Dominico gloriosissimo præfecto prætoriorum Illyrici.] Cui etiam hoc adjectum est: *Et tua quoque celsitudo hæc sciens, una cum semper suscepturis sedem tuam, hæc servare festinet; et si denunciatum fuerit, ali-quod tale edictum, prohibeat, et maxime quæcumque in ordinationibus curialium vel officialium interdicta sunt. Nuntiet autem tuam*

For. L. 6, in fin. C. de summa Trinitate.

nobis, ut decens super eis imponatur correctio. Utatur quoque præceptis ad clarissimos provinciarum judices: ut et ipsi quæ sunt insipientes, non permittant aliquid extra hoc quod a nobis constitutum est fieri; imminet enim eis pœna quinque librarum auri, si quidem et ipsi prævaricari videntes non denuntiaverint aut sedi tuæ, aut imperio: ut undique decens ornatus ordinationis gradui conservetur. Scripta cum adjunctione, Dominico P. P. Illyrici.

**COLLATIO SECUNDA.**

**TIT. I.**

**DE NON ALIENANDIS<sup>1</sup>, AUT PERMUTANDIS REBUS ECCLESIASTICIS IMMOBILIBUS, AUT IN SPECIALEM HYPOTHECAM DANDIS CREDITORIBUS, SED SUFFICERE GENERALES HYPOTHECAS.**

**NOVELLA CONSTIT. VII.**

Imperator JUSTINIANUS AUGUST. Epiphano sanctiss. et beatiss. archiepiscopo felicis hujus civitatis, et oecumenico patriarchæ, [et patriarchæ Constantinopolitano.]

**PREFATIO.**

Unam intentionem hanc semper proponimus, omne quicquid prius imperfectum, aut confusum videbatur, hoc et expurgare, et perfectum ex imperfecto declarare: quod etiam in omni legislatione facientes, credimus oportere, et in alienationibus quæ sunt super sacris rebus, una complexi lege, quæ priores omnes et renovet et emendet: et quod deest, adjiciat: et quod superfluum est, abscondat. A Leone siquidem bonæ memoriæ (qui post Constantinum piæ memoriæ, christianæ fidei inter imperatores principatum auxit, et constituit sacrarum ecclesiarum honorem et disciplinam) scripta lex<sup>2</sup> est de alienationibus ecclesiasticis, conclusa in sola hujus felicissimæ civitatis sanctissima majore ecclesia. Et laudamus plurima hujus legis, cum omni vehementia et Dei cultura posita: sed eo quod non generaliter posita sit in omnibus, egere etiam eam quadam correctione credimus. Ab Anastasio quoque piæ memoriæ scripta quædam de talibus lex<sup>3</sup> est, nec similis priori, et omnino minus habens. Effusa namque et per loca foris posita, nihilominus mansit imperfecta, eo quod ad solum sacerdotium et diocesis respiciat constitutam sub beatissimo patriarcha hujus regni et felicissimæ civitatis: alias autem non perscrutata sedes: cum utique dignam correctione esse eam arbitrabatur: propter quam occasione aliqua quidem corrigebat, alia vero incomposita relinquebat. Quamobrem eam quoque vacare de cætero sancimus, utpote imperfectam, et loco circumclusam, et non generalem inter leges existentem, neque aliquid studiosum introducendum. Hæc ergo nos omnia emendantes, unam existimamus oportere legislationem imponere omnibus sanctissimarum ecclesiarum, et xenodochiorum, et noscomiorum, et monasteriorum, et brephotrophiorum, et gerontocomiorum, et totius sacrati collegii rebus, et hanc legem Leonis piæ memoriæ constitutioni adjicere: prius breviter ejus legislationem exponentes: sicque omne quod reliquum est intextentes. Vult enim illa neque Deo amabilem archiepiscopum et patriarcham hujus felicissimæ civitatis, seu sanctissimæ majoris ecclesiæ, neque oeconomum vendere, aut donare, aut aliter alienare rem immobilem, domum forsan, aut agrum, aut colonum, aut mancipia rustica, aut civiles annonas (nam et hæc inter mobilia sunt numeranda) quæ competunt Constantinopolitanæ sanctissimæ majore ecclesiæ: sed neque pro ulla<sup>4</sup> compensatione aut alia qualibet circumventionem tale aliquid agi: et interminatur<sup>5</sup> emptori quidem rei restitutionem, ut reddat per tempora oeconomo rerum sanctissimæ ecclesiæ rem quam ipse perceperit, cum omni mediæ temporis fructu, et aliis lucris: casu imminente pretiorum ei qui tale aliquid accipere aut comparare præsumperit: cum etiam hoc quidem quod contra leges actum est, ita ponat ac si neque a principio gestum sit. Oeconomum<sup>6</sup> vero hæc prævaricantem, dare quidem de suo sanctissimæ ecclesiæ jubet omne quicquid ex ea causa lucratus est, aut sanctissimam ecclesiam damnificavit. Super hoc autem etiam excludit eum officio oeconomi: et dat actio-

TIT. I. — 1. Adde N. 120. — 2. L. 14, C. de sacros. ecclesiis. — 3. L. 17, C. d. t. — 4. N. 120, c. 1, in pr. d. L. 14, in pr. vers. scientes, et § 1. — 5. d. L. 14, § 1. — 6. d. L. 14, § 2.

nam sanctissimæ ecclesiæ, non contra solos Deo amabiles oeconomos, sed etiam contra successores eorum: sive ipsi hoc alienaverint, sive pro tempore Deo amabilem episcopum, aut aliquem aliorum clericorum videntes alienantem, taciturnitate degeneri, et sine libertate passi sunt: et multo potius si consentientes, et videntes tale aliquid permisissent, et non causam prohibuerunt. Ad hoc autem et tabellionem<sup>7</sup>, qui talia confecit instrumenta, perpetuo tradet exilio: nullam ei clementiam neque revisionem participans: ipsos quoque maximos<sup>8</sup> judices, qui ad hæc accedunt, et ministrant talibus causis, aut confici apud semetipsos monumenta pro confirmatione talium donationum aut aliorum actuum patiuntur: et cingulo, et dignitate et substantia interminatur excludere. Hoc igitur increpans vehementer, permittit<sup>9</sup> rei ecclesiasticæ usum, aut qui vocatur usufructus, sub certo quodam tempore, aut etiam usque ad vitam percipientis dare sanctissimam majorem ecclesiam, sub hac tamen definitione, ut is qui accepit munificentiam, ejusdem quantitatis recompenset rem sanctissimæ majore ecclesiæ sub proprietatis ratione, ex qua posset eundem redium sanctissima ecclesia habere, quantum ille ex usu accepit, post percipientis utique mortem, aut definitum tempus, usu videlicet, et usufructu dato ecclesiasticæ rei ad sanctissimam majorem ecclesiam redeunte, et usu donatæ rei cum proprietate sanctissimæ ecclesiæ faciendæ: talem namque contractum sine periculo esse ponit lex. Si vero minus fuerit quam quod datur a sanctissima ecclesia, illud quod compensatur ei, cuius mox quidem percipiet proprietatem, sperat autem et usum accipere, infirmum contractum, et pro non facto ponit: datque licentiam vindicationis, utpote circumventionem contra jus sanctissimæ ecclesiæ facta.

§ 1. Lex itaque talia sub brevitate decernit, et multam imponit, et usque ad res sanctissimæ ecclesiæ stat solummodo: et omnem quidem perimit circumventionem quam prædiximus: non tamen retinere calliditatem postea insurgentium valuit. Quidem enim dudum hoc quod vocatur colonarium jus [colonarium jus est, veluti si domum valentem centum solidos et præstantem pensionem decem solidorum, accipiat quis ab ecclesia et det pro ea solidos centum, seu amplius, aut cere minus: et quasi jam de proprio adgruet se dare singulis annis quasi pensionis nomine solidos tres. Iste autem appellatur paracus, sed ipsam domum sub tam parva pensione in perpetuum, et ipse et heredes ejus possidebant] adinvenientes, neque nostris legibus neque alii cuiquam omnium notum, circumventionem non parvam meditati sunt contra legem, perpetuas pene cogitantes alienationes: quod nos de cætero agi prohibemus, et pro eo ipso conscripsimus legem. Dudum autem, et ad emphyteusim respexerunt, et imminuerunt plurimam quantitatem veri redditus illi qui emphyteusim accipiunt, præstantes hi qui rebus prædictæ sanctissimæ majoris ecclesiæ præsidebant. Ideoque nos in quadam constitutionum nostrarum definivimus quidem usque ad personas tres<sup>10</sup> emphyteusim fieri, accipientis, et duorum successorum aliorum, hoc etiam super rebus sanctissimæ majoris ecclesiæ fieri permittimus, non autem ultra sextam partem relevari emphyteusim percipientibus propter fortuitos casus sancientes. Quia vero didicimus sic effuse et impie ab aliquibus fieri documenta, ut neque sexta relinquatur sanctissimæ ecclesiæ pars, reliquis omnibus emphyteusim accipientibus donatis: Anastasius autem piæ memoriæ gesta monumentorum constituit fieri super alienationibus, sicut etiam hujus rei fieret tempus, et emphyteusim statuens, sine gestis quidem usque ad solam vitam accipientis emphyteusim: cum gestis autem, in perpetuum eam extendens, neque perfectam fecit, neque utilem legem, et undique imperfectam usque ad solam diocesis patriarchicæ sedis hujus felicissimæ civitatis (sicut prædiximus) legislationem statuens.

**CAP. I. De rebus ad venerabilia loca pertinentibus non alienandis.**

Nos igitur (jam enim ad legem veniendum est) sancimus neque sanctissimam hujus felicissimæ civitatis majorem ecclesiam, neque sub ea constitutas ecclesias, quarum ipsa prerogationem suscepit (sicut eam Anastasius piæ memoriæ interpretatus est) neque alias omnes ecclesias in hac felicissimæ existentes civitate, aut circa ejus confinia, neque sub patriarchica sede hujus felicissimæ civitatis constitutas, quarum metropolitans ipse ordinat, neque alium ullum undique patriarcham: neque episcopum (dicimus autem et eos qui in Oriente, et qui in Illyrico, in super et in Ægypto, et in Lycæonia, atque in Lycia, et eos qui in Africana provincia sunt, et complexive dicendo per omnes quæcumque nostræ sunt terræ, necnon in Occidente sunt Deo amabiles episcopos ab ipsa seniori Roma usque ad Oceanum consistentium sanctissimarum orthodoxarum ecclesiarum) neque aliquem xenodochum, aut pichotrophum,

— 7. d. L. 14, § 3. — 8. d. L. 14, § 4. — 9. d. L. 14, § 5. — 10. L. 24, in fin. C. d. t. de sacros. ecclesiis.



aut nosocomum, aut orphanotrophum, aut brephotrophum, aut gerontocomum, aut monasterii virorum, vel mulierum abbatem vel abbatissam: aut quemlibet omnino presidentem venerabilibus collegiis, licentiam habere alienare rem immobilem, aut in domibus, aut in agris, aut in hortis, aut omnino in huiusmodi, neque rusticum mancipium, neque civilem annonam: nec per specialis pignoris occasionem tradere creditoribus. Alienationis autem nomen generalius ideo posuimus, ut prohibeamus et venditionem<sup>11</sup>, et donacionem, et commutationem, et in perpetuum extensam emphyteusim, quæ non procul ab alienatione consistit. Sed omnes ubique sacerdotes ab huiusmodi alienatione prohibemus, subditos penitus quibus Leonis piæ memoriæ usa est constitutio<sup>12</sup>. Illam namque per omnia valere, et ratam esse sancimus: propterea hanc proposuimus et protulimus, et non paterna voce legem conscripsimus, sed hac communis et Græcæ, ut omnibus sit nota, propter facilem interpretationem. Quod itaque jam preterit<sup>13</sup>, relinquimus: nam tanta documenta tempore longo facta nunc commovere, multæ erit tergiversationis. Quapropter quæ usque huc hactenus extant, proprium habeant schema: de cætero autem omnem alienationem interdiximus, prædictas ei penas imponentes.

**CAP. II. De principe qui rem immobilem venerabili loco dederit.**

Ut autem lex ad humanæ naturæ varietatem, et quod semper venit, moderata, per omnia immota permaneat (quid enim erit stabile inter homines, et ita immobile, ut nullam patiat mutationem: cum omnis noster status sub perpetuo motu consistat?) necessarium existimavimus quasdam exceptiones dare legi cum multis vigiliis, et subtilitate adiuvatas: ut eas habens in auxilio, lex nequaquam moveatur. — § 1. Siminus<sup>14</sup> igitur imperio, si qua communis commoditas est, et ad utilitatem reipublicæ respiciens, et possessionem exigens talis alicujus immobilis rei, qualem proposuimus: hoc ei a sanctissimis ecclesiis, et reliquis venerabilibus domibus, et collegiis percipere licere, undique sacris domibus indemnitate servata, et recompensanda re eis ab eo, qui percipit æqua aut etiam majore quam data est. Quid enim causetur imperator ne meliora det? cui plurima dedit Deus habere, et multorum dominum esse, et facile dare, et maxime in sanctissimis ecclesiis, in quibus optima mensura est donatarum eis rerum immensitas. Unde si quid tale fiat, et pragmatica præcesserit forma præcipiens imperio dare aliquid talium rerum, et recompensaverit eam rem meliorem, et uberiorem et utiliorem: sit ea permutatio firma: et ii qui præsidet domibus, quarum est quod alienatur, et qui talibus administrant literis, sine querela undique sint, nullam metuentes penarum, quæ a Leone piæ memoriæ interminantur, et a nobis firmate sunt: utique cum nec multum differant ab altero sacerdotum et imperium, et res sacræ a communibus et publicis: quando omnis sanctissimis ecclesiis abundantia et illis ex imperialibus municipalibus perpetuo præbatur. Alterutris itaque compensantes quæ decet, non ab aliquibus iure culpabuntur. Aliam vero omnem sive ad imperium ipsum, sive ad aliam quamcumque personam factam sive venditionem, sive donationem, sive permutationem, sive emphyteusim perpetuam omnino permittimus: sed neque donationem cujusdam pignoris in re immobilis factam occasione mutuum fieri sinimus. Et hæc valere volumus in omni ecclesia, omnique monasterio, et nosocomio, et xenodochio, et brephotrophio, et asceterio, et gerontocomio, et omni absolute collegio quod actio pia constituit, nullo penitus horum aliquid accipere ab eis valente. Unde neque constitutione Anastasii divæ memoriæ ulterius opus erit, neque secundum illam faciendæ decreta memoratæ observationis: ipsa enim rei principia perimentes, et prohibentes quod sit, nequaquam perscrutatione deinceps indigebimus.

**CAP. III. Quomodo emphyteusis ecclesiasticarum rerum contrahi permittitur.**

Emphyteusim autem sive in sanctissima majore ecclesia, sive in omnibus reliquis adorandis domibus fieri sinimus, et in accipientis persona, et in duobus<sup>15</sup> ejusdem personæ heredibus deinceps, filiis tantum solis masculis, aut feminis, aut nepotibus utriusque naturæ, aut uxore, aut viro, si hoc videlicet de uxore aut viro expressim nominetur, alioqui non transire ad aliquem cujuslibet, quæ in omni nostra ditione sunt posita, aut ptochiorum, omnino percipiat hoc et secundum prædictam observationem, et secundum formam constitutionis<sup>16</sup> Leonis piæ memoriæ: ut iste locuples existens et substantiæ immobilis dominus, aliam mox rem secundum proprietatis jus compenset sanctissimæ ecclesiæ, aut venerabili domui, ex qua percepit tantos et tales frequentes reditus, quantos aut quales habet: quod datur ita, ut post ejus obitum ecclesiastica aut ptochica res revertatur ad venerabilem domum cum usu qui datus est, non transcendente tempore vite percipientis. Accipiat autem similiter etiam

11. L. ult. C. de reb. alien. non alien. — 12. d. l. 4. — 13. L. 7. C. de legib. — 14. Auth. Sed et permutare, C. de sacros. eccles. addo N. 120, c. 2. — 15. d. N. 120, c. 1, in pr.: l. 24. § 2. ult. C. de sacros. eccles. — 16. Fide tamen d. N. 120, c. 1, § 2. — 17. Authent. Perpetua, C.

hujusmodi quandam diminutionis rei damus ordinem, ut quærat cum omni veritate et subtilitate pensio eorum quæ dantur, tanta quanta ab initio fuit, quando ad sanctissimam venit ecclesiam: et detur emphyteusis talibus personis, quales dudum diximus: tunc enim sextam ei partem cum scrupulositate imputandam concedimus. Si vero minui contigerit, per quandam cladem pensionem, aut in toto: tunc constantem pensionem accipiat, qui emphyteusim subire vult: aut nec accipiat penitus, cum liceat conducere potius, quam tales diminutiones in emphyteusim celebrare. Si vero alicujus ecclesiastici prædii suburbani<sup>19</sup> emphyteusis detur: quæ plurima maxime in hac novimus felicissima consistere civitate, multo quidem digna pretio, parvas vero redditentia pensiones, aut nihil pensionum omnino: non ex redditibus metri emphyteusim, sed æstimari suburbanum subtiliter, et reputari ex pretio collecto reditus possibiles in viginti annis computari: et in redditibus ex hoc computatis agi emphyteusim, non perpetuo, sed in eum qui percipit, et duas ex eos successiones, et viro et uxori, sicut prædiximus faciendam. — § 2. Scire<sup>20</sup> autem emphyteutas convenit, quia si biennio<sup>21</sup> continuo non exsolverint emphyteuticum canonem, (hoc enim tempus pro triennio<sup>22</sup> aliorum hominum sufficere ad casum ecclesiasticarum aut ptochicarum emphyteusim, non pro soluto canone ponimus) sicut omnino extranei emphyteumatis, et volentibus præpositis sacrarum domuum licet prædii aut domos defendere nullam metuentibus meliorationum redditionem. Sed si quidem deterius fecerit prædium aut suburbanum aut domum qui emphyteusim percipit: cogi eum de suo diligentiam ac restitutionem prædicti status facere, et obligatum esse ad hoc ipsum et heredes ejus et successores, ejusque res, insuper et debitos omnes reditus sine dilatione exigi. Quod autem dictum est a nobis ut nullius immobilis rei ecclesiasticæ aut ptochicæ alienatio sit permessa: ad nullam nostræ reipersonam sancimus valere, non solum super constantibus domibus et suburbanis, et hortis, et agris, sed etiam super ruinis sive ex igne, sive ex terræ motu, sive ex qualibet alia causa ruina sit, sed etiam in iis quæ omnino destructa sunt, et in pavimento jacent, sive etiam in puris ruinis nullum ædificium habentibus neque materiam jacentem. Non enim in illis alienationem fieri permittimus, nisi in sola emphyteusi temporali, secundum quod dudum a nobis dictum est, et in tribus personis talibus quales prædiximus. Ut neque ulla circumscriptio in rem ecclesiasticam in talibus fiat: ut duobus pro tempore primitivibus mechanicis, aut architectis, sive in hac regia et maxima civitate una cum Deo amabilibus economis et quinque reverendissimis presbyteris, et duobus diaconis, præsentem quoque Deo amabili episcopo: sive etiam in provincia duobus insignibus mechanicis aut architectis, aut etiam uno, (si unam solum civitatem habeat) interventibus in illis locis, sacrosanctis Evangeliiis positus definiatur ab architectis, quantum competat pro hoc solvi sanctissimæ ecclesiæ secundum modum emphyteusis: et in his emphyteuticam conscriptionem in eo celebrari secundum figuram prius dictam. Illud vero et ædificare, et uti materiæ, si materiam habeat, et transmittere emphyteusim usque ad duas successiones (sicut dictum est): et sic reverti post trium personarum mortem ad sanctissimam ecclesiam, aut venerabilem domum, ex qua facta est emphyteusis, et etiam valere talem contractum, utpote præsentem non repugnantem legi. — § 3. Neque illud quod hactenus contra tales contractus agebatur, valere permittendum est de adjectione, ut si vel duorum heredum compleat tempus, licentia sit eis qui post illum sunt, in emphyteusim dare id unde agitur, et semper eos præponi aliis. In hoc enim nihil aliud est, quam per revolutionem et machinationem perpetuas eis emphyteusis, magis autem privationes ecclesiasticarum agi rerum. Sed et si quid factum est tale: nullam necessitatem esse reverendissimis economis heredibus cessantibus, cæteris tradere.

**CAP. IV. Quomodo<sup>23</sup> ususfructus rerum ad sancta loca pertinentium constituatur.**

Si quis autem voluerit accipere secundum rationem usus<sup>24</sup>, aut qui vocatur ususfructus, rem ecclesiasticam aut sanctissimæ majoris ecclesiæ, aut alterius cujuslibet, quæ in omni nostra ditione sunt posita, aut ptochiorum, omnino percipiat hoc et secundum prædictam observationem, et secundum formam constitutionis<sup>25</sup> Leonis piæ memoriæ: ut iste locuples existens et substantiæ immobilis dominus, aliam mox rem secundum proprietatis jus compenset sanctissimæ ecclesiæ, aut venerabili domui, ex qua percepit tantos et tales frequentes reditus, quantos aut quales habet: quod datur ita, ut post ejus obitum ecclesiastica aut ptochica res revertatur ad venerabilem domum cum usu qui datus est, non transcendente tempore vite percipientis. Accipiat autem similiter etiam

de sacros. eccles. — 18. L. 24, § ult. C. d. t. — 19. l. 198, D. de verb. signif. — 20. Auth. Qui rem, C. de sacros. eccles. — 21. N. 120, c. 8. — 22. L. 2, C. de iure emphyt. — 23. N. 120, c. 2. — 24. L. 14, § 2, C. de sacros. eccles. — 25. d. l. 14, § 5.

rei in compensationem datæ et usum: quatenus sit post percipientis obitum, aut tempus in quo donatio usus convenit, non transcendens videlicet percipientis vitam: utrumque ex toto, et secundum proprietatem, et secundum usum apud sanctissimam ecclesiam remansurum.

**CAP. V. Quibus penis subjaceant qui alienationes prædictarum rerum fecerint.**

Quia<sup>26</sup> vero Leonis piæ memoriæ constitutio penas pene solummodo in venditione decrevit, nos autem interdiximus non venditiones solum, sed etiam donationes et permutationes et perpetuas emphyteuses, et pignorum dationes in rebus immobilibus: videmus autem quosdam sic amatores periculi constitutos, ut presument ad ea quæ interdicta sunt, accedere, et circumventionem facere legibus ex voluntate et presumptione, quam habent, et quæ omnibus modis interdicta sunt, et forsitan deducunt homines ad mortem, qui hoc agunt: propterea necessarium existimavimus in unoquoque contractu etiam certam statuere penam: his quippe penis quæ posite sunt adversus economos ex constitutione prædicta piæ memoriæ Leonis, similiter et nunc imminentibus economo, aut xenodochio, aut nosocomo, aut brephotropho, aut abbati aut abbatissæ monasterii aut asceterii, secundum quod prius dispositum est. Si quis igitur emere præsumperit rem ecclesiasticam, aut ptochicam: cadat quidem mox pretio: exigatur autem res quam accepit cum omni medii temporis incremento: et contra sanctissimam quidem ecclesiam, aut venerabilem domum, nullam omnino habeat actionem: contra venerabiles vero economos, et qui omnino venderint, in propriis eorum substantiis ex contractu habeat actionem: ut metu suæ substantiæ, etsi non propter Dei timorem, tamen segiores circa venditionem fiant. — § 1. Si quis autem per donationem accipere præsumperit rem ecclesiasticam aut ptochicam: et ipso quod datum est, omnino cadat: et aliud tantumdem ex sua substantia reponet sanctissimæ ecclesiæ, aut venerabili domui ex qua hoc suscepit, ut quam nisus est agere contra eam novitatem, hanc sibi in propriis exhibens, suam sentiat malignitatem. — § 2. Si autem permutatio in quibusdam personis fiat præter solum imperium, sicut prædiximus: et qui permutationem accipit, subjacet penæ, et datam sibi rem amittat, et recurat rursus hæc ad venerabilem domum unde progressa est, et quod pro compensatione dedit, maneat apud venerabilem domum, et qui accesserit ad causam legi contrariam, cadat utroque juste: et secundum hoc penæ subdatur, secundum quod et propriis cadet, et quod speravit, non acquisivit, etiam hæc actione ei servata in propriam substantiam eorum, qui contractum cum eo celebraverunt.

**CAP. VI. Ut liceat res ecclesiæ generali hypothecæ subjicere, non autem speciali.**

Si autem creditor in pignore corporali elegerit accipere rem immobilem ecclesiasticam aut ptochicam, in domibus forsitan, aut suburbanis, aut agris, aut hortis, aut civilibus panibus, aut rusticis mancipiis, et dederit aurum, ab hoc cadat creditor, et habeat lucrum quæ mutuum accepit sanctissima ecclesia, aut venerabilis domus, quod mutuatum est aurum: etiam hic contra celebrantem mutuum economum, aut xenodochium, aut brephotrophum, aut præsulem monasterii aut asceterii, aut aliorum venerabilium collegiorum, creditori actione manente: his omnibus etiam in abbatissis muliebrium asceteriorum aut monasteriorum valentibus. — § 1. Si enim omnino sanctissimis ecclesiis, aut aliis venerabilibus domibus crediti opus fiat, aut in solam necessariam videlicet et inevitabilem occasionem, et præterquam non poterit quod imminet, adimpleri: aut in aliam causam utilissimam sanctissimæ ecclesiæ consistentem: licebit propositis eorum usque ad generale<sup>27</sup> hypothecam stare: et nullum speciale<sup>28</sup> pignus creditoribus præbere.

**CAP. VII. Quibus penis subjaceant qui perpetuam emphyteusim contraxerint.**

Si vero et perpetuam quisquam emphyteusim accipere præsumperit, quod non<sup>29</sup> licet, aut temporalem quidem, non tamen secundum hujus nostræ legis observationem: etiam sic cadat quidem ab emphyteusi, et quod datum est, maneat apud venerabilem domum. Det autem continuo, et post easdem emphyteumatis, quantum futurum erat solvere, si secundum legem subiisset emphyteusim: nihil apud eum remanente ex rebus pauperum, quæ frustra per emphyteusim date sunt. — § 1. Hæc igitur omnia custodiantur prædictis subjecta penis: neque tabellionibus<sup>30</sup> presentibus instrumentis talibus ministrare, sed metuentibus usque ad exilium, et ut nunquam revertantur, nec si sacra hoc præbeat forma:

26. Auth. Qui res, C. d. 1. — 27. Fac. L. 1. pr. De pignori. — 28. Fide tamen L. 21, in fin. C. de sacros. eccles. — 29. Fide tamen N. 120, c. 6, § 1. — 30. l. 24, § 5. C. de sacros. eccles. — d. N. 120, c. 11, circa fin. — 31. d. l. 14, § 4. — 32. L. 21, in fin. C. de sacros. eccles. —

**CAP. VIII. De non alienandis sacris vasis.**

Iisdem penis servandis etiam adversus eos qui sacra vasa contra nostram legem aut pignori dant, aut vendunt, aut conflant propter alienationem: nam et illos æqua aut majori pena dignos esse sancimus, quanto etiam circa sacras res, et Deo dicatas præsumperunt impie agere: nisi<sup>31</sup> tamen aliquid tale fiat, quod diximus circa redemptionem captivorum, ubi animæ hominum liberantur a mortibus et vinculis, inanimatorum venditione vasorum. Simili quippe observatione, et super alienatione civitatum<sup>32</sup> panum custodienda, sicut sæpe diximus: eo quod tales panes non solum in hac felicissima civitate, sed etiam in magna Alexandria, et in Theopoli esse didicimus: forsitan autem tale quid, et in aliis provinciis quibusdam est. Si enim etiam alibi huiusmodi quædam sit possessio, et in illa lex servetur, et suam observationem extendat.

**CAP. IX. De eo qui per pragmaticam rem ecclesiæ comparaverit.**

Quia vero verisimile est quempiam etiam in circumventionem hujus legis tentare pragmaticas nostras formas accipere, tale aliquid ei agere permittentes: et hoc prohibemus in omni persona majore vel minore, sive in cingulo constituta, sive horum qui circa nos sunt, sive aliorum quispian inter populos habitantium: et sancimus nulli penitus licentiam esse, talem quempiam pragmaticum proferre typum, neque ex hoc accipere aliquid de sanctissimis ecclesiis compendium, aut monasteriis, aut ptochis, aut aliis venerabilibus collegiis, immobilium rerum, sed et gloriosissimo quætori penam imminere centum librarum auri, si quid tale dixerit: simul et suscipientibus insinuationem talis cujuspian sacræ formæ gloriosissimis iudicibus, aut aliis quibusdam eandem imminere penam: et tabelliones succumbere Leonis piæ memoriæ constitutioni, si egerint tale aliquid instrumentum: et Deo amabiles episcopos, aut venerabiles economos sine periculo refutare huiusmodi sacras pragmaticas formas, magis autem cum periculo suscipere et agnoscere: quia circa ipsum sacerdotum periculum sustinebunt, si negligentes has leges, quæ ita fiunt, pragmaticas sequantur formas. — § 1. Oportet enim ea quæ communiter et generaliter in omnium utilitatem sancuntur, potius valere, quam ea quæ circa aliquos studentur agi ad corruptionem communium legum. His solis videlicet conducendis, et emphyteusi dandis rebus, quæcunque potant tali aliquo egere.

**CAP. X. De administratore qui rem ecclesiæ alienavit.**

Si tamen voluerint quædam sub propria gubernatione habere Deo amabiles economi, aut aliorum præules collegiorum: nulli eorum qui in potentatu sunt, neque secundum sacram pragmaticam formam licentiam esse, cogere eos, aut per conductionem, aut per emphyteusim hæc tradere ei qui hoc agit: et sacrilegii subjacere penæ, et omnibus mulectis quæ hac nostra lege sacra continentur, et supplicis.

**CAP. XI. De monasteriis non alienandis.**

Quia vero cognovimus aliquid pessimum delictum factum et apud Alexandrinos, et apud Ægyptios, jam autem et in aliis quibusdam imperii locis quosdam præsumere ipsa venerabilia monasteria<sup>34</sup> vendere, aut permutare, aut donare. (in quibus et altare collocatum est, et sacrum exhibitum ministerium, quale moris est in sanctissimis ecclesiis celebrari, sacris quippe lectis Scripturis, et sacrosancta et ineffabili communionem tradita, et monastica illic facta habitatione) ita ut hæc mutarentur ex sacro et Deo amabili schemate ad privatam mansionem et statum: hæc omnino de cætero fieri prohibemus, nulli hominum permittentes hoc delinquere, sed etiam factum infirmum omnibus declaramus modis, et pretiorum casum imponimus accipientibus: venditorem quoque damnificamus, et rei casu, et pretii amissione, sanctissimæ ecclesiæ ejus loci, et venerabilibus monasteriis hoc tribuentes: quatenus ipsi providant, ut quod male alienatum est, rursus ad monasticam revocent figuram: neque hypotheca super his valente, sed etiam ipsa infirmanda, et rursus sacro monasterio assignanda.

**CAP. XII. Si sterilis ager ad ecclesiam pervenerit.**

Sicut<sup>35</sup> autem damnosas alienationes prohibemus, sic et damnosas possessiones interdiximus. Multæ enim apud nos motæ sunt quæstiones, ubi quidam minus idonea prædii donaverunt sanctissimis ecclesiis, aut venerabilibus domibus, aut etiam venderint tanquam idonea: cum utri-

33. Fac. tit. C. de annona civitibus. — 34. N. 120, c. 7, § 1. — 35. Auth. Sicut, C. de sacros. eccles.